



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

Resp. V. De Minoritatum priuilegijs quoad sepulturas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

argenti pana nomine &c. l. 3. C. de assessor. assertit ex sola occultatione in debitorum locum succedere, & ad indemnitate, & poenas teneri, vteos, per quos factum erit, quo minus arrestum effectum habeat. ex l. quoties. C. de exact. tribut. lib. 10. l. si per alium. §. fin. D. ne quis eum, qui l. 1. §. 1. D. de eo per quem factum erit. l. & eleganter. §. idem labeo. D. de dol. mal.

12. Ad indemnitate.

13. Siquis dolus sit quo creditor fallatur.

Quin & ex dolo malo quem similiter teneri late docet idem Pecquius n. 2. si quid actum erit, quo creditor fallatur, vt si quis equos commodauerit vt debitor fugiat, & arrestum anteuertat; & similia, quanto minus excusabitur hic religiosus, qui arrestum acceptauit, seruareque promisit, si superuenienti alteri executori non tantum arrestum non iudicauit; sed ad mobilia in conuentum transferenda iuuat? debuit superuenienti executori non tantum ipsi indicare, sed & ipsis creditoribus, aut Iudici se curam deponere, executori cedere, alioquin negligentia nomine tenetur. sicut depositarius, mandatarius, procurator denuntiare se imposterum custodiam, aut diligentiam prestare nolle. l. si mandauero. 22. §. fin. D. mandati.

14. Vt si non renunciet patri seu iudici se curam deponere, coque res arrestata auferuntur.

15. Punitur religiosus executor.

16. Monasterium non tenetur, nisi ex verso in rem illius.

Enimvero si quid per dolum, fraudem, negligentiam religiosi executoris est gestum perperam; quos, inquit d. clem. vn. de testam. deliquisse repererint Ordinarij, in aliorum exemplum pana debita, quocumque non obstante privilegio, puniant, poena, inquit: non enim ob delictum monachi tenetur monasterium, nisi quantum forte in rem versum sit. ex titulo. D. de in rem verso. neque ex ciuili contractu, quia monachus executor defuncti procurator seu mandatarius est: is eum rei suae preposuit: superiores Ordinis permittunt, iubentue, si ex pietate eis videtur, mandatum defuncti exequi, eum in sua executione ille repraesentat; non Ordinis su-

periores: non hos ergo, sed defunctum obligat: aut sese ex culpa, seu delicto. nec enim prauidicare monasterio potest: vt nec seruus domino. late Euerardus in loc. legal. a seruo ad monach. n. 30. & segg. quo modo etiam licentia superioris requiritur per canones, vt monachus testimonium dicat: si tamen testando damnum dederit, peierauerit, puniri potest monachus: poena suum authorem tenet: non autem monasterium. Superiores ergo hic absoluedi sunt: religiosus puniendus, quatenus male est versatus; & ad indemnitate procurandam tenetur, si quo modo potest.

RESPONSVM. V.

De Minoritarum privilegij quoad sepulturas.

Multa sunt privilegia Ordinibus mendicantibus concessa quoad sepulturas. inter partes conuenit seruanda esse super his pacta, conuentiones, & concordata, si qua olim interuenerint. quod & Leo X. in Concilio vlt. Lateranensi decreuit & iam ante Bonifacius VIII. in c. vlt. de pact. in 6. porro non inueniuntur quidem concordata aliqua sub eo nomine hic olim conuenta, vt etiam in scripturis partium dicitur; sed tamen in rescripto Sixti IV. dato 7. id. maij 1572. quo permisit Minoritis in oppido H. conuentum institui, disertè adijcitur, vt fiat sine prauidicio cuiuscumque; & iure parochialis ecclesie; & cuiuslibet aliterius in omnibus semper salvo. rescriptum illud dirigitur ad Officialem Cameracensem tunc Ordinariu: ei que executio delegatur: illius si litera executoria exhiberentur, verisimiliter receperetur, quid cum parcho actum, transactumque esset, super eodem iure parochiali conseruando, idque pro-

1. Super his pacta, conuentiones, concordata seruanda.

2. Quae si in terminis verborum non extant vnde eliciantur?

A a concor-

concordato hic habendum esset.
 Sed eas literas dum non lubet
 exhibere, aut non extant, facta
 post secuta, que fuerit vel partium
 conuentio, vel parochi consensus,
 vel mens delegati exequentis, pro-
 bare possunt. *L. sed iulianus. §. pro-
 inde. ibi, intelligendumque ab initio sic
 accepisse. D. ad Maced. l. si seruus plu-
 rimum. §. vlt. D. de leg. 1. Menoch. de
 presump. l. 6. p. 35. n. 23. Et seqq. ubi
 plura citat.*

3.
 Immemo-
 riali con-
 suetudine
 imprimis,
 actis antè
 & post se-
 cutis.

Igitur ex computibus antiquis-
 simis, qui reperuntur, constat
 per annos circiter 80. apud eos-
 dem Minoritas potuisse eligi se-
 pulchram: sed nihilominus vel ante
 vel post officium solere fieri in
 ecclesia parochiali; illique, & mi-
 nistris iura consueta persolui: qui-
 bus conformia esse presumuntur
 anteriora tempora: quorum com-
 putus non extant. *Menoch. de pres.
 l. 1. q. 24. n. 44.* adeoque à princi-
 pio ita fuisse vlti seruatum. *d. §. pro-
 inde, vt immemorialis huiusmodi
 consuetudo non tantum habeat
 vim privilegij, sed etiam pacti:
 imò pacto fortior sit. Menoch. pres.
 l. 3. pres. 131. n. 43. 44. post Bald.
 Crauetz, Oldrad. Signorol. &c.* ex hac
 ergo consuetudine inferendum
 est, eam fuisse partium conuen-
 tionem, mentem parochi consen-
 tientis, sensum delegati exequen-
 tis; adeoque hic locum esse decre-
 to Leonis X. & Bonifacij VIII. *in
 d. c. vlt. & quamvis idem Sixtus
 IV. postea scilicet an. 1486. alijs-
 que Pontifices diuersa concesser-
 rint privilegia, etiam derogato-
 ria clementinæ dudum de sepult.
 qua saluam omnino esse vult por-
 tionem parochialem, nulla tamen
 censentur derogare pactis, con-
 uentis, & concordatis, nisi expres-
 se de illis faciant mentionem. c. ex
 multiplici. X. de decim.*

4.
 Pactis non
 derogatur:
 licet con-
 suetudini.

Quamuis etiam, olim idem Boni-
 facius expressè abrogauerat pa-
 cta, & consuetudines; in constitu-
 tione sua supra cathedram in extrava-
 g. *commun. de sepultur.* tamen Benedi-

ctus XI. Bonifacianam abrogane-
 rat: & rursus Clemens V. in d. c.
dudum Benedicinan: tamen ite-
 rum & aduersus hanc clementi-
 nam Leo X. in *ultimo Concilio La-
 teranenſi* statuit, pacta & conuenta
 esse seruanda. quod admittunt
 Minoritæ, vt diximus.

Igitur exhibitum quidem pri-
 uilegium Sixti IV. an. 1486. de-
 rogat consuetudinibus quibus-
 cumque contrarijs, sed non pa-
 ctis, vt neque immemorales con-
 suetudines, qualis hic asseritur,
 abrogatæ censentur communi
 verbo *consuetudines*, nisi & imme-
 morialis expressa sit. *Gasius de
 benef. p. 3. c. 2. n. 190. ubi plures
 citat, vt hic non est.*

Confirmat idem Sixtus om-
 nium præcedentium Pontificum
 privilegia, ipſius bulla, que inde
mare magnum dicitur, inserta. per
 qua etiam quartæ parochiali, à d.
 clem. dudum stabilitæ, videtur
 derogari: & Nicolaus V. per con-
 cessionem Carmelitæ factam, apud
*Rodrig. tom. 1. q. 39. art. 2. disertè de-
 rogat d. clementinæ.* (cum hic est
 alijs mendicantibus communica-
 tio privilegiorum) quibus etiam
 successit confirmatio Pij V. Greg.
 XIII. Sixti V. Clementis VIII. &
 Pauli V. super qua etiam hic ac-
 cessit placitum Archiducum 21. Febr.
 1613. ad instantiam Confes-
 sarij sui, Commissarij generalis
 Minoritarum.

Verum Pij V. confirmatio per
 Gregorium XIII. reducta est ad
 terminos Concilij Trid. & subse-
 cuti Pontifices deinceps hanc
 clausulam, *quatenus privilegia decre-
 tis Concilij Trid. non aduersentur,* con-
 firmationi suæ adiecerunt.

Illud ergo c. 25. c. 13. decernit,
 quibuscumque in locis, tam ante annos decem
 quadraginta, Quartæ, qua fuerat
 dicitur, cathedrali aut parochiali ec-
 clesie solita esset persolui, ac postea fue-
 rit ex quocumque privilegio, alijs mo-
 nasterys, hospitalibus aut quibuscum-
 que locis pjs concessa, eadem post hæc
 inuigra

integritate, & eadem portione, qua antea solebat, cathedrali, seu parochiali ecclesie perfoluatur: non obstantibus concessionibus gratis privilegij, etiam maris magno nuncupatis, aut alijs quibuscumque, quem locum quidem Pius V. bulla incip. *et si Mendicantium* an. 1567. interpretatus est loqui tantum de monasterijs ante annos quadraginta ante tempus d. canonis fundatis, non verò de post fundatis: quod in illis nondum existentibus non poterat esse consuetudo, de qua in d. c. 13. verum d. c. 13. quamvis antiquum hoc sit monasterium, non spectat ad casum nostrum, neque enim vquam exacta hinc aut soluta est à Minoritis parochia quarta funeraria, ut fatentur, sed simpliciter ipse parochus officia in parochia praestitit, & parochialis ecclesia, & ministri iura sua consueta receperunt plusquam à 40. annis. ut ipsi fatentur, & ut pastor probat ex venturis libris, circiter ab annis 80.

Et licet dixerimus ad casum nostrum non spectare d. c. 13. f. 25. Conc. Trid. & manifestet tamen Concilium suam intentionem pro quarta funerali parochis seruanda: ut dum abrogat concessionem infra 40. tunc annos contra factas, multò minus laudet imposterum faciendas: tamen dici non potest quoad praesentem casum illa privilegia contrariari Concilio Tridentino; cum in alio casu loquantur.

8. Privilegia in casu immemoriali vltu contrario enervata.

Quamvis igitur ex privilegio Ioannis XXI. Praedicatoribus concessò, & Minoritis communicato, nec ab ipsis religiosis, nec ab haeredibus, nec à testamentorum executoribus quidquã possit exigi, neque illi ex d. bulla Sixti IV. an. 1486. cogi, ut corpora defunctorum ad parochiales ecclesias deferantur: & cum illis, vel sine illis, ibidem celebrentur divina, ante vel post sepulturam: atque, extra causam quartae funeralis, nihil à Concilio Trid. mutatum sit,

tamen dicendum est nulla istiusmodi privilegia vsu hic esse recepta; sed contrario enervata. ita ut Minoritae quidem non solvant quartam; haeredes tamen curare officia in ecclesia parochiali fieri, & iura solui ab omni memoria consueverint. ut nullus est locus in tota Brabantia, quae est patria consuetudinaria, vbi Minoritae puris privilegij, ut sonant, vrantur: imò id ipsum satis fatentur.

Nec sufficit contra arguere, non perdi privilegium per non vsu eius, qui expresse illi non possit renuntiare; idque priuatus non possit; nec Praelatus, nec Capitulum: quia imò iure permissum est, in materia sepulturarum fieri pacta & conuentiones. *d. c. fin. de pact. in 6. eaque & Leo X. iussit seruari.* consequenter pro vtilitate temporum & locorum licet renuntiare huiusmodi privilegij, non tantum expresse pactis; sed etiam tacitis: ut non vsu, quemadmodum *in c. accedentibus. X. de priuil. & in c. sede terra. X. eod.* non vsu amittitur privilegium, quoad non vtenes, quamvis toti Ordini sit concessum. ut ibidem agitur de privilegio Ordini Cisterciensi, & Templariorum concessò; & vtrouique tamen additur causa; quod liberum sit unicuique suo iuri renuntiare.

Iterum non sufficit arguere aduersus consuetudinem oppidi H. privilegium d. Sixti IV. derogatorium esse consuetudinis: quippe sub eo nomine simplici non comprehenditur consuetudo immemorialis, ut dictum est.

Deinde esto, abrogauerit Sixtus consuetudines contrarias: de praeteritis tantum egit: subsecutae autem consuetudines & vsus contrarij Sixtini, aliaque privilegia abrogarunt. *d. c. si de terra. d. c. accedent.*

Neque ea resuscitant noua Pontificum diplomata confirmatoria, aut placita Principum: sed intelliguntur illa quatenus sunt in vsu.

A a 2 neque

9. Illud obstat illis, qui vltim admitterent privilegio contrariu, et si non Ordini.

10. Privilegia derogantia consuetudini non loquantur in immemoriali.

11. Et agunt de praeteritis.

12. Nec per noua privilegia resuscitantur.

neque enim intentio Papæ aut Principis est tollere ius alicui quæsitum. *c. dudum. X. de priuil. c. 2. de decim. in 6.* vt etiam in regulis Cancellariæ Romanæ expressum est *reg. 17.* quæ consuetudines eò magis hic sunt fauorabiles, quod illa clausula in priuilegijs apponi solita, *salua iustitia illarum ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur*, intelligi debeat secundum rationabilem consuetudinem regionis. vt inquit *c. certificasti. X. de se. ult.* quia *vnæqueque prouincia in suo sensu abundat*, porro sensus incolarum H. qui omnes singulariter vocati olim consenserunt in admissionem Minoritarum, vt supra diximus, & copia cum libello Syndici exhibitæ fert, videtur illè fuisse, quem secutus hæcenus vsus ostendit: vt quartam quidem non soluunt Minoritæ; hæredes tamen soluunt iura parochialia consueta.

13.
Clauſula, salua iustitia ecclesiarum &c. intelligitur da secundum rationabile consuetudinem regionis.

14.
Quæ vt hic sit.

Rationabilis etiam hic ea consuetudo visa est, vt vtrique, à quo populus spiritualia acciperet, sua carnalia tribueret. vtique quoniã nullũ tunc erat in illo oppido virorũ monasteriũ à quo in spiritualibus incola iuuentur; adeoque nõ obligati Minoritæ ad quartam, ali magis congruè possent: & si fabrica atque ministri parochiales sua iura reciperent, nihilominus nimium etiã præiudiciũ non paterentur, neque ad nimia paupertatẽ deuenirent. eo enim casu etiã cessare debent iusta priuilegia *c. suggestum. X. de decim.* & in casu necessitatis tã fabricæ suæ parochiali, quã illius ministris populus succurrere deberet.

15.
Quibus cum nihil auferatur, hic cura esse non debet de populo qui sic admittitur grauari.

Quare cum Minoritis, nihil eis datum, seu oblatum auferatur, cura eis esse etiam non debet de populo, qui olim ita in eorũ admissione censendus est consensisse, nec ipsi querelam habere possunt, quibus ius nullum competere potest, sed vsus tantum facti, pro nimia Ordinis paupertate, & incapacitate cuiuslibet dominij, aut iuris.

de qua in *c. exijt, qui seminat.* de verb. signif. in 6. & *clm. exijt. cod.* nam proprietatem, inquit *d. c. exiuit. §. proinde, & dominium Pontificis & Romana ecclesia in se receperunt. dimisso ipsis fratribus vsu facti simpliciterum omnium oblatarum, concessarum, donatarum.* ita vt fratres ipsi pro nulla, inquit *d. c. exijt. §. proinde. vers. veruntamen, re temporali possint in iudicio experiri.* & consequenter perperam hic petitum est, vt *manuteneantur fratres ipsi, seu iorum contentus* nam nec in communi bona possidere possunt. *d. c. exijt. d. clm. exiuit. Concilium Triad. §. 25. de regular. c. 3.* in possessione sepulturarum, & iuram inde recipientium, adeo vt nec liceat ipsis in Curijs assistere procuratoribus, & aduocatis. *d. §. proinde.* & similiter neque transire de domo in domũ ad commendandam causam quasi suam Curiarum senatoribus: sed dumtaxat tanquam peregrini, inquit *d. §. proinde, & aduena in hoc sculo in paupertate & humilitate Deo famulantes vadant pro alienos confidenter.*

Quibus omnibus rectè expensis cum appareat hanc, de qua agimus, consuetudinẽ esse rationabilem, quæ & paupertati ecclesiæ parochialis, & simul Minoritarum prouidet: vtique dicendũ est etiã à Principe factam rectam esse seruandam, ac manutenedã. vt omnibus incolis Brabantiæ addicitur in *Leto Introitu art. 57.* qui sensum prædicti etiam Placiti debet interpretari. cum etiam iure Princeps non possit auferre, quod alii cui præscriptione, præsertim immemoriali, est quæsitum. *Conar. in p. 3. vol. 1. c. possessor de reg. iur. l. 1. §. 1. n. 5.* tamethi parochia parochialia commoda iure etiam ipso competant. *tot. tit. de sepult.* per priuilegia alijs communicantur: & res omnis facillè dicatur redire ad naturam suam: vt priuilegijs facillè derogatur. *d. c. si de terra. d. c. accedent.* & ius fauorabile sit; priuilegia, odiosa.

odiosa. & in causa hac possessoria interdium dari non debeat aduersus annalem possessorem. l. 1. in princ. v. intra annum. D. vii. poss. ordnat. Conc. Brab. art. 438. quanto minus aduersus triennalem, decennalem, immemorabilem?

Neque porro recipi potest, quod obiectum est, quod Minoritæ ignorantæ fuerint huiusmodi consuetudinis: tum quia etiam vera ignorantia aduersus vsum immemorabilem nullum pondus possit adferre: tum quia dum in omnium conspectu officia funeralia facta sunt in ecclesia parochiali, toties & à tanto tempore, huiusmodi allegatio tam exiguæ est fidei, vt nec audiri possit. c. cum in tua. X. qui matrimonium accusare. nec desuper recipi probatio. c. quia verisimile. x. de probat.

18. Etiam Syndici agere non possunt, vt ip-sis fratribus aut Conuentibus pro-prietas aut possessio ad iudicetur.

Enimuerò quia, vt diximus, Minoritæ tantum habent vsum facti, nihil iuris, Innocentius IV. & Martinus IV. & alij statuerunt, vt essent Syndici, aut œconomi qui nomine Romanæ ecclesiæ actiones prosequi possent: sed ea forma & modus hic ex integro nõ est seruatus. Syndicus quidem non Minoritæ sunt in lite, sed tamen idem Syndicus nullatenus hic fecit mentionem ecclesiæ Romanæ, nec de illius proprietate, dominio, iure seu possessione egit, sed conclusit, vt ipse conuentus Minoritarum manu teneatur in possessione sepulchrorum, & receptionis iurium sepulchralium, etiam ad exclusionem parochi, quæ eadem iura dicit peti, aut recipi non per modum elemosinæ, sed iuris, ac iusti pretij physici laboris in sepultura præstiti. dicit quidem Regula, quod fratres de mercede laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant: sed hæc ipsa verba Nicolaus III. in d. c. exijs. §. nec quidquam. in fin. interpretanda declarat de vsu facti dumtaxat, quoad ipsos fratres: vsus autem facti dumtaxat non sufficit, vt alicui

19. Vt potius nomine elemosinæ de-beant accipi: pere quæ offeruntur etiam in-tuitu laboris per eos præstiti.

concedatur interdium: sed requiritur vt quis nomine suo, non alieno possideat: non tantum in possessione sit: l. 3. §. creditores. §. cum inquilinus. D. vii. possidetis. quia possidere non censetur, nec præscribere potest, qui suo nomine non possidet. l. 1. §. per procur. D. de acquir. poss. l. 2. C. de præscript. 30. an.

Sed & canones vix sic loqui permittunt etiam ipsis parochis, dum pecuniam exigi vetant. c. suam. & tot. tit. X. de simon. ita tamen vt cogantur per officium Ordinarij illi, quibus ea obsequia præstita sunt, obseruare laudabilem, inquit, consuetudinem, erga sanctam ecclesiam, pia deuotione fidelium introductam. quæ periphra-sis est elemosinæ. à quo verbo non debeat Minoritæ abhorre-re: quibus in d. §. proinde dicitur, vt vadant pro elemosinis confidenter. tamen si non nesciamus operæ statui pretium posse, sed & tamen nec ipsis deberi, nullamque in personis ipsorum consistere posse obligationem. d. c. exijs. d. c. exiui. quæ tamen mater est actionum omnium, & sine qua illæ nasci non possunt.

RESPONSVM VI.

De naturalibus & diocesanis.

In erectionibus nouorum Belgij Episcopatum nouem præbendæ in singulis cathedralibus ecclesijs afficiuntur personis graduatis, tres Theologis, tres iurisperitis, tres nobilibus eius diocesis, siue in iure, siue in theologia lauream adeptis. quæsitum est an hæc verba, eius diocesis, ortos requirant, an oriundos admittant, vel fortuito alibi natos, cum parentes illorum in diocesi domicilium haberent, quod filij forti-

Privilegiu ecclesiaru Belgicarum cathedralium quoad præbendas nobilibus diocesanis affectas an oriundos admittat, an ortos dumtaxat?